Jahresbericht

der Steinbart'schen

Erziehungs- und Unterrichts-Anstalten

bei Züllichau,

Hanow, R.

herausgegeben

am Schlusse des Schuljahres von Ostern 1855 bis Ostern 1856.



I. Scida horatiana, quae est de carmine XI libri II;

II. Schulnachrichten, Beides vom Director.

Züllichau.
Druck von J. A. Lange.
1856.

Scida horatiana quae hoc loco obfertur paucis est excusanda brevique monendi sunt qui haec legent quo modo e scrinio exierit. conlega enim quidam carissimus qui hanc praefandi provinciam susceperat cum in aliquam homericam quaestionem animum advortisset multaque commentatus esset de vocula trium litterarum qua ad acuendas sententias nihil est validius, subito mihi denunciavit nuper in summa copia rerum copia atque adfluentia admodum se egere nec habere tale munusculum quo narrationem scholasticam brevi foras emittendam prosequeretur. tum ego qui viderem cum magna harum litterarum utilitate illam commentationem premi in alterum certe annum non expostulo cum conlega optimo sed cum Philtone tamen macciano tacitus apud animum conqueror *‚sine dote autem'!* in quibus angustiis cum res et ego essemus, occurrebat Lysiteles adulescens qui est in eadem Trinummo plautina qui egestatem se toleraturum pollicetur si quid ipse ab egeno acceperit, tenebrisque disiectis lux adparebat clarissima. egenus enim abs quo acciperetur quod satis esset ad egestatem tolerandam videbatur inventus esse. sic igitur habeto de scida mea horatiana quae e scrinio exiit.

Quod Batavus clarissimus *Hofmanus-Peerlkampius* petierat ut litem sibi intendere liceret in illud carmen quod iniuria in horatiana inrepsisset locumque undecimum in carminibus secundi libri occupasset, exortus est nuper huic carmini advocatus longe gravissimus, *Augustus Meinekius.* en litis contestationem. Batavus enim *carmen,* inquit, *Horatio indignum. Voluit aliquis experiri, quid imitando argumento valeret, quod Graeci Romanique poetae, Horatius praecipue, diversis modis tractaverunt. Sed tam ieiunum, tam a suavitate et urbana illa hilaritate remotum nihil apud Horatium legimus. Et universum male cohaeret. Sunt laciniae, hinc inde consarcinatae.* contra Augustus Meinekius *carmen hoc,* inquit, *non diffiteor me in iis semper habuisse, quae orationis castitate, imaginum venustate sensuumque veritate prae ceteris commendantur.* en causae dictionem aliquam meam. adscribo ipsos versus de quibus statuendum est secutus Aug. Meinekii exemplum.

Quid bellicosus Cantaber et Scythes,
Hirpine Quinti, cogitet Hadria
divisus obiecto, remittas
quaerere. ne trepides in usum

poscentis aevi pauca: fugit retro
levis iuventas et decor, arida
pellente lascivos amores
canitie facilemque somnum.

non semper idem floribus est honor
vernis, neque uno luna rubens nitet
voltu. quid aeternis minorem
consiliis animum fatigas?

cur non sub alta vel platano vel hac
pinu iacentes sic temere et rosa
canos odorati capillos,
dum licet, assyriaque nardo

potamus uncti? dissipat Euhius
curas edaces. quis puer ocius
restinguet ardentis falerni
pocula praetereunte lympha?

quis devium scortum eliciet domo
Lyden? eburna dic age cum lyra
maturet, in comptum Lacaenae
more comam religata nodum.

Iubetur Quintius Hirpinus non curare quid cogitent Cantabri et Scythae. horum cogitata quae fuerint apertum est, bella enim vel cogitabant Romanis inferre vel fingebantur cogitare. ipsa igitur sententia postulat ut *bellicosus* non uni Cantabro sed etiam Scythae referatur eademque declarat quam recte singularis *cogitet* dictus videatur, nam utriusque populi mens erat una. participium quod subsequitur quin causam contineat dubitari non potest, potest autem dubitari, utrum priorum causam contineat an posteriorum. primum fac continere causam priorum. qui Cantabrum et Scytham unum idemque consilium sequi intellexerit, participium adiunctum non poterit non ad utrumque referre. quod si facit, perverse statuit Italiam ab Hispania diiungi Hadria. restat igitur, ut quamvis invitum animum avocet a coniungendis eis membris quae suapte natura coniunguntur dicatque *divisus* de uno valere Scytha. quam vim qui adhibet animo idem aequabilitatem membrorum tollit, cum *bellicosus* ad utrumque nomen quod subest recte adplicetur, *divisus* contra quod post haec duo nomina est ad alterum solum pertineat. de re ipsa adposite H.-P. ‚*quod ad Scythas, hos totae regiones, Illyricum et Pannonia, a mari Hadriatico separabant*‘. fac porro participio *divisus* causam contineri posteriorum, non ecficies quod sit sanius. nam qui Cantabrum metuit et Scytham perverse dicitur tutus esse posse a Cantabro quod sit Hadria separatus. quocunque igitur te vertes, in perversissima haerebis sententia. accedit ad hanc perversitatem altera eaque non minor. qui divisus dicitur ab hoste Hadria vel abs quo divisus hostis eodem Hadria', is cogitatur habitare in Italia. cuius sollicitudo cum ita levatur ut iubeatur recordari mari se ab hoste defendi, videtur in metu esse ne hostis traiecto mari in Italiam descendat. quod fieri posse nemo hercle Augusti aetate tam erat insanus ut statueret aut crederet. Hirpinus Quintius quo modo excusetur adpellatus pro Quintio Hirpino h. l. non moramur, notamus tantum esse quod excusetur. nec silentio debet praetermitti

quod cognomen amici quem poeta adpellat repertum est nusquam nisi hoc loco. haec quae modo exagitavimus pendent omnia e verbis *remittas quaerere* ad quae H.-P. haec adscribit ‚*Pro mittas. Necessitate metri. Non credo esse Latinum, nec vidi exemplum. Alii, iam admoniti, quaerant.*‘ quaesiverunt alii et reppererunt ut sibi fortassis etiam aliis visi sunt. at haec quaestio omnis inutiliter videtur mota esse a critico batavo. nam mittere vel omittere quid is iure dicitur qui illud quidquid est abicit totum forti usus consilio, contra qui remittit rem animum aliquantisper ab ea avocat. itaque in eum cuius animus curis angitur et sollicitudinibus cum maxime convenit remittendi vis, si quidem evellere et exstirpare illum metum vix queat sed magnum ecficiat si minuat et sopiat ad tempus. ne percenseam testimonia ab Orellio aliisque citata satis habeo commemorasse prudentem Fabri adnot. ad Salustii belli Jugurth. c. 52. itaque si quid laudabiliter videatur dictum in hoc carmine, laudarim *remittas quaerere* dictum, non *mittas* vel *omittas.* in proximis non habeo dicere quis primus notaverit *nec,* abiecit primus Mauricius Hauptius in exemplo Weidmanniano quem sequitur Aug. Meinekius item Franc. Paulus. nec mirabor si inventi fuerint qui Hauptianam correctionem explosisse sibi videantur propositis paucis verbis in quibus *nec* cernitur in vi negativa continuanda. longum est huius modi adnotata in quibus temere multa miscentur ad vivum resecare nec ad rem quae h. l. agitur ita multum pertinet. namque abiciendae illius scripturae quae libris prodita est necessitas repetitur si quid video ab ipsa sententia. qui enim hoc monuerat ‚noli quaerere quae bella rei publicae inmineant‘, non poterat si quidem saperet aliud subicere nisi hoc ‚et fruere paratis‘ vel negative ‚neve dubites ingenio indulgere‘. contra ab eo qui haec consarcinavit post priorem admonitionem haec altera plane dispar infertur ‚neve sis parcus nimium,‘ quae quam male inter se cohaereant edocet si opus sit is qui ‚*nec trepides*‘ ita exponit ‚*non trepidans*‘. verum suae homuncioni relinquendae sunt ineptiae nec levandae emendatione illa cui non favent libri mss. aut interpunctione graviore. idque eo magis quod incredibile dictu est quam parum his mutationibus illae ineptiae leventur. quod quid valeat facillime ita intellegetur ut demptis prioribus carminis initium facias illa ‚ne trepides in usum —‘, neque enim desiderabitur quicquam.

Accedimus ad alteram stropham in qua plena sunt omnia obfensionum. incipimus a constructione verborum ‚*ne trepides in usum poscentis aevi pauca*‘. quam inter priores commentatores ut videtur convenit ita esse instituendam ut genitivum *aevi* suspensum vellent esse e verbo *trepides,* nec vero est quod hunc genitivi usum moremur. sed nascitur inde si quid video aliud incommodum idque maximum. nam *trepidare aevi* nihil est nisi angi de aevo i. e. longumne futurum sit an breve, integrumne an male habitum, hoc autem loco dicendum erat desiderantem quod satis est non vexari animo de futuro *victu.* leviora haec sunt quod verba *in usum* misere abundant et quod verborum dispositio tam est contorta et coacta ut non videatur habere excusationem. relicta illa constructione recentiores maluerunt iungere haec *nec trepides in usum.* quos non mediocriter iuvit Aug. Meinekius adpositis quibusdam sophocliis verbis cumque malorum optio data videatur, minus ut mea fert opinio optabit is qui ad recentiores se accommodarit. sed admonitionis quae in his inest vim et consilium non sane confirmari atque adiuvari illo adparatu qui post exponitur H.-P. statuit rectissime, nam ut delicatis hominibus qui erant Augusti aetate visus sit non magnus, is qui de futuro victu timet aliter profecto iudicat.

Haec autem de quibus modo diximus ita cohaerent cum proximis ex illa ratione scribendi et interpungendi quam Aug. Meinekius iniit, ut hae sint partes sententiae ‚ne parcas nimium assi, reputa abire iuventutem‘, de quo genere congesta sunt horatiana non pauca a Ioan. Apitzio Coniectt. p. 17. duoque membra quorum alterum arctissime adnectitur priori facile definiuntur quid valeant. prius qui posuit hoc voluit ‚demitur unus dies iuventuti quae adest itemque unus, mox ut iuventutis nihil futurum sit relicui‘ vel ut brevius dicamus ‚citissime transit iuventus‘. alterum membrum hoc continet ‚senectutem cum accesserit pellere amores et somnos‘. sed haec duo quae per se recta sunt videndum est quo modo inter se coniungantur. iam si in participio volueris esse temporis notam, hoc habebis ‚cito transit iuventus cum adest senectus‘? quod est absurdum. quid multa? nulla reperietur participii nota qua constituta recta concxorum membrorum exeat ratio. sed fac horum versuum confectorem dixisse quod non dixit ‚fugisse i. e. abesse iam iuventutem‘, tunc videbitur fortassis adsumpta temporis significatione recte addere ‚cum senectus amores et somnos pellit‘. at enim videbitur tantum, quis enim hoc exaudivit unquam post *levem* i. e. *inberbem* iuventutem statim esse senectutem *aridam?* notissima illa sunt Taciti verba ‚tot annis quibus iuvenes ad senectutem, senes prope ad ipsos exactae aetatis terminos per silentium venimus‘ in quibus quod senectus est pro ea quam nos dicimus virilem aetatem, adparet non intellegi aridam. porro haec verba in quibus versamur verba sunt poetae qui adfatur amicum. quod igitur dicit ‚reputa iuventutem fugere‘, intellegenda est *tua* iuventus vel ut summum demus *nostra*. merito igitur H.-P. hanc castigat iuventutem eorum quorum cani sunt capilli id quod exstat v. 15. fuit qui Batavum refellere conaretur cum canos amicorum capillos cum iuventute quae adest pugnare negaret, scilicet generalem hanc esse sententiam *‚fugit retro levis iuventus‘*. at generalem ponere sententiam quae abhorreat a definita re quae subest insipientis est.

Transimus ad tertiam stropham. subministrantur duo e rerum natura petita, flores qui non semper sunt flores, luna quae non semper est una i. e. vel nova vel dimidia vel plena. vicissitudinis igitur rerum obfertur species. quod si est, frustra quaeres cur *verni* inducantur flores, cum omnium haec sit conditio ut hodie proveniant cras marcescant. proxima his sunt verba interrogatione inclusa ‚quid aeternis minorem consiliis animum fatigas‘? quae inlustrata illis quae e rerum natura ducta sunt exemplis denotare hoc videntur ‚quid ergo vicissitudinis rerum inmemor consilia capis aeterna i. e. nunquam interitura‘? quae iam, quaeso, sunt aeterna consilia amici quae abicienda significat? vidimus eum bella expavescere, vidimus metuere ut victus subpetat. nisi hunc metum intellegi statuas, nulla consilii nedum aeterni facta est mentio.

Iam respice spatium trium stropharum quod emensi sumus. prima stropha dicit is qui hos versiculos confecit ‚noli timere bella quae infesta futura sint Italiae‘. altera hoc ‚noli metuere de victu futuro‘. tertia hoc ‚noli sequi aeterna consilia‘. quem igitur qualemque cogitabis Quintium Hirpinum? nempe varium et ventosum, modo bella timentem modo de victu ambigentem modo aeterna consilia animo amplectentem! haec non est una species hominis sed quasi disiecta sunt membra pessime consarcinata immo ne consarcinata quidem sed singulis inclusa strophis.

Tot tantisque viarum difficultatibus defatigati videmur tandem in amoenum quendam recessum deferri cum legimus haec *‚cur non sub alta vel platano vel —‘*. sed is qui in his habetur quasi cur-

sus verborum subito inciditur cum non subsequatur id quod necessarium *pinu* sed inmittatur alienissimo loco *hac.* rectum autem verborum ordinem si ita restituere conaberis ut voluisse hominem scribere hoc dicas ,*cur non vel sub alta platano vel sub hac pinu*' grataque usum neglegentia id admisisse quod exstat, vereor ut ecficias quod multum prosit. sic enim cum alta vocetur platanus, contra pinus haec monstretur, cogitabis pinum non altam. meministi autem ingentem pinum. simulque cum pinus quae certo loco stat monstretur pronomine, platanus non monstretur, dispar fit ratio harum arborum quarum una eademque esse debet. male igitur facta oratio est. iam vide adparatum convivalem. cuius duae solent esse partes altera ad oculorum altera ad narium oblectationem spectans. adest igitur suavissimum unguentum, nardinum oleum, videtur etiam adesse lepidissimum ornamentum, rosacea corolla. at inspice quid inficetus homo ex his quasi elementis conflet. facit enim amicos *odoratos* et rosa et nardo, ut videatur aut omisisse coronam aut *odoratos* dixisse inepte. tum crassa ut videtur Minerva hoc ipso loco *canos* enunciat capillos. qui iocularia agit is vero amicum ridens ita poterit invitare ut in ,senecta aetate' genio aliquid dandum moneat, quanquam ne eum quidem cum ita iocetur a quodam doloris sensu afuturum putem. hoc autem loco ubi amicus qui animo ita est constitutus ut curis ac sollicitudinibus excrucietur avocandus est a tristitia metuque ac traducendus ad hilaritatem, cum *canos* commemorat capillos gladio eum iugulat quem consolari volt. in eisdem verbis Aug. Meinekius suo iure intolerabilem ducit assyriam nardum commendatque neutrum genus.

Sed amicum quem ad suavissimam conmissationem vocat non abripit id quod res ferebat ad ceteras quae eum manebant voluptates, verum ineptissimo loco renovat curarum cogitationem cum dicit ,*dissipat Euhius curas edaces*'. in quibus verbis hoc notatu dignum quod dissipandi verbum alibi similiter dictum non exstat. post haec cum redit qui haec scripsit ad delicias suas proponendas haec ecfundit ,quis puer ocius —', ad quae H.-P. adnotat ,Horatius potius scripsisset ,*quis, pueri, ocyus*',' ut mihi quidem videtur admodum subtiliter. nam adparatus qui describitur qui sane non est exiguus plenissime perficitur cum statim puerorum inducitur multitudo. sed hoc quidem ita possis interpretari, ut a Batavo dicas facta esse meliora quae bona fuerant. quid autem de *praetereunte lympha?* quis est locus quem praeterit? villa est in quam vocat amicum. at villae nulla facta erat mentio. o te tardum! platanum videras vel hanc pinum. at poesis est pictura. iam omittimus hoc quod caret arte et ad aliud properamus. ver est vel aestas cum amicum vocat ut se ,abiciat in herba' sub platano. ne illae quae tunc e rivo praetereunte hauriuntur aquulae non multum valebunt ad falerni ardorem restinguendum!

Denique in ultimam stropham quasi cumulo congesta sunt quae summas habeant obfensiones. quod H.-P. scribit ,*Scortum H. nusquam nisi in contumeliam, neque hac aetate aliter ponebatur*' rectissime hoc videtur statuisse. *devium* autem scortum omnibus an non omnibus venale habeatur facile supersedemus quaerere, cum hoc in oculos incurrat aut in magna festinatione inepte puellam e recessu qui fingitur acciri aut inhonestissime amicum ad spurcam vocari voluptatem. at sunt qui haec verba ita torqueant ut spurcae libidinis Horatium insimulent. *eburna* lyra num in illud scortum conveniat quaeri potest, certum est non convenire *eliciendi* rationem. nam elicere est dedita opera urguendo et stimulando quem excitare, illud autem mulierum genus tale est ut accurrat ad

nutum. in ultimis verbis, ni fallor, cupidius egit H.-P. cum Lacaenam propter metrum ex arbitrio inductam esse conlceret. adposite enim Aug. Meinekius de Lacaenis haec propertiana adtulit *‚est neque odoratae cura molesta comae'*, et fortassis alii qui doctrinae copiis abundant alia monstrabunt quibus simplices munditiae Lacaenarum probentur. sed quod comptus est nodus, aliquid curae et temporis in eo faciendo ponendum esse adparet. quod igitur Lyde iubetur Lacaenarum more compta adesse, si domi non fuerit illo more compta, aliquid curae et temporis nodo Laconico faciendo dederit necesse est postquam vocata est. id quod cum maturandi praecepto parum congruit. magnus igitur Bentleius qui *‚incomptam L. m. comam religata nodo'* scribi volebat, egregie perspexit quid res postularet, frustra autem operam consumpsit in uno naevulo tollendo eius scriptoris qui naevis naevos cumulat. intactam relinquimus hodie illam Batavi adnotationem qua durissimam verborum constructionem in his ultimis accusat. redibo ad hanc rem cum perfecero disquisitionem quam institui de confusione adiectivorum et substantivorum quae est in Horatii carminibus.

Ad perorandum ventum est. quae Hofmano-Peerlkampio duce a nobis exposita sunt ut in summam redigantur brevem haec sunt. primum magna inest in hoc carmine verborum rerumque multitudo quae obfensionem aliquam habeant aut dubitationem. quod igitur ipse Horatius de antiquis poetis latinis cum dicit, ‚inter multa', ait, ‚verbum emicuit si forte decorum, si versus paullo concinnior unus et alter, *iniuste totum ducit venditque poema'*, merito in hos versiculos videmur conferre: tum ab elocutione abest quae est prima eloquendi virtus, certus verborum intellectus ac perspicuitas. tam enim ambigue dicta sunt compluria ut firma intellegendi ratio constitui nequeat. tertio loco notanda erat in eo qui hos versus confecit haut sane exigua imbecillitas ingenii. hoc enim commisit ut in paucis verbis essent non pauca vel inepta per se vel oblique dicta vel inter ipsa repugnantia. denique abest etiam illud quod perficit poema, unus sententiarum cursus ac tenor qui ex uno fonte exit.

Hofmanus-Peerlkampius *‚carmen'* inquit, *‚Horatio indignum'*. equidem ita subscribo ut dicam *indignissimum*. —